



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuitur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

46 Quidsi magna vel etiam maxima sit beneficiorum permutandorum
inæqualitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

Quid si magna vel etiam maxima sit beneficiorum permutandorum inaequalitas,

reddaturque nulla, veluti si ne vel pro tertia quidem parte beneficium vnus compermutantis respondeat prouentibus & emolumentis beneficij compermutantis alterius. quò pertinent elegātes duæ decisiones Rotæ apud Thomam Fastolum. nimirum causa 6. dub. 11. & causa 31. dub. 60. Et hoc est quod Gaudius loco superiùs memorato dicit, permutationem beneficij tenuis cum pingui valere nec fraudem posse impingi nisi cum omnia essent notabiliter (vt loquitur) inæqualia. solam scilicet inæqualitatem beneficiorum permutandorum, quantumuis magnam, non putant ad suspicionem fraudis inducendam sufficere, sed & ætatis inæqualitatem & personarum permutantium coniunctionem requirunt ad fraudem præsumendam. dico fraudem: quantumlibet enim nihil interueniat fortè simoniacum, fraus tamen semper fit ordinarij collatoribus, quæ toleranda non est: adde vt fructuum ex tali beneficio perceptorum restitutioni sit obnoxius quicumque sic eos fraudulenter percepit, exemplo eorum qui dum vitæ clericalis propositum non habent, beneficia nihilominus ecclesiastica possident, vt his dirati postea quærant ac ducant vxores c. commissa. de elect. lib. 6. debet nempe fraus & à beneficiorum permutationibus abesse c. vnic. de rer. permutat. in 6. in verbis liberè ac sine fraude de quibus ibidem plenius paulò post agemus ordine suo. Sane si tanta sit inæqualitas beneficiorum permutandorum

Fructus ex beneficio fraudulenter acquisito perceptos esse restituendos.